



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita P. Caroli Spinolæ Societatis Iesv, Pro Christiana Religione In Iaponia Mortvi**

**Spinola, Fabio Ambrogio**

**Antverpiæ, 1630**

Cap. V. Profectio è Lusitaniâ in Brasiliam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46233)

euenere; ut Paternitas sua, expendendo longas filiorum suorum peregrinationes, eorum miseratione tangatur, DEOq; cum eis gratuletur, tot benignè elargitis fauoribus, gratiamq; eis impetret maiora etiam pro Christo tolerandi.

## CAPVT V.

## Profectio è Lusitaniâ in Brasiliam.

OCTO Societatis homines conscendimus; è quibus Itali quinque vnâ fuimus in nauis; quæ omnium opinione habebatur de optimis; eratque nauis Francisco nomen. Hanc ut primum conspexit bonus Pater Iacobus de Vicariis, augurari cœpit, è multis quæ inerant crucibus, non defore materiam patiendi. 10. Aprilis anni 1596. comitati quaternis nauibus magnis alijsq; minoribus letitiâ exultantes discessimus; quod nobis videremur iam mundo mori, penitusq; à patriâ atque ab amicis omnibus & notis corpore etiam abire. Intra paucos dies, prospero vsi vento, latus Guineæ tenuimus; extremoque Aprili, noxia dierum aliquot malacia languorem corporibus, labem annonæ, stomachis nauisem attulit. Postridie Calendas Maias, ventus in contrarium versus est; interualloque dierum viginti, in secundum & quartum Boreales gradus, nunc Orientem nunc Occasum versus impulsit, nouos quidem ventos captauimus, sed maiore

itinervis dispendio, quàm progressu. A 13. aspi-  
 rauère secundiores aura. A 26. sub vesperam  
 festà hilaritate transgressi Aequatorem, tam  
 faustam sensimus prouectionē, vt binos die vno  
 gradus decurreremus, proris in latus Brasiliae  
 directis, aduersus scopulos, quos Lusitani appel-  
 lant Abrolhos, vt ventos nancisceremur idoneos  
 Promontorio Bona-spei tenendo. Eo temporis  
 tractu ego publicanda doctrina sacra, audiendis  
 confitentium culpis, alijsq; Societatis exercitijs  
 me dedi. P. Iacobus, qui pro suà in me charitate  
 fatigari me adeò non ferebat, frequens labores  
 meos adiuuabat, magno Lusitanorum solatio,  
 qui sanctitatis de eo opinionem conceperant. Bis  
 in diem Catechesis explicata est, ad quam om-  
 nium qui in naui erant fiebat concursus; moreq;  
 Italiae consucto, Hymni & Psalmi insigni can-  
 dore pietatēque ab omnibus canebantur. Rixa  
 fortè exarserat inter clasiarios & nautas, sta-  
 bantque hinc inde, hi contis, illi gladijs armati,  
 & exitium imminebat utrisque. Ego medius in-  
 terueni, effeci que vt armis positis discederetur,  
 magnà partium approbatione. Ascensionis Pen-  
 tecostēsque Ferijs, multorum expiata noxa, ad-  
 iutique aegri; sed omnium exiles erant morbi.  
 Pridie Idus Iunias manè insula aliquot rupēs-  
 que inopinatò se versus Austrum aperuere, in-  
 tra altitudinē dimidiij gradus & viginti; pla-  
 nē vt si ventus eà nocte increbuisse, inuectis in  
 breuia

breuia proris, pereundum omnibus fuisset. Adeo incerta est nauigandi scientia, cum ob vim aestus inconstantiâque ventorum, tum ob nauium mobilitatem, quâ vsus omnis interit Astrolabiorum: quare nullum praesidium, nisi DEO niti. Adextris deinde sex millium passuum intercapedine, insula conspecta situ edita, qua multis indicijs credita est esse Ascensionis: illa nempe vicinior littoribus Africa & Brasilia; non altera, eidem cognominis, sed inferior loco. Decimo sexto ad Tropicum Capricorni accessimus, vento iam obuertente proras in Promontorium Bona-spei; cursuque in id directo, comparabant se omnes aduersus consuetas ei loco tempestates. Cùmque à nouemdecim gradibus promouissemus in sexdecim, intermedio laterum Brasilia & Promontoriij, sub vesperam clauum nauigij rupit vis venti à puppe spirantis, cetera secundi, sed adeo uehementis, ut eo flante, Promontorium octidui spatio fuisset superaturi. Vitium clauus fecit, quia malè erat aptus: ea quippe pars quae aquas subire debebat, tota eminebat, nec ullus supererat partis superioris vsus. Tantum, dum rumpebatur, edebat fragorem, ut omnes terrerentur, crederentque aut in breuia se incurrisse, dum vela contrahi clamore nautico iubebantur; aut certè occurrisset piscem Aguliam, qui naues solet perforare. Vertit occasionem hanc DEVS multorum bono; qui cùm amore adduci non potuissent,

tuisſent, metā emendare vitam ſtatuērunt. Hi namque diſcrimē re ipſā maius opinantes, quando euadere ſe poſſe deſperaffent, cum DEO, cum inimicis, in gratiam rediere. Alios ad eamdem animi ſanitatē adduxere morbi, qui tranſitu Tropici reditūque ſe vulgarunt; tum verò longè maximè cum tractu illo maris peſtilenti ſuit remanendum. Vno ſubinde die quadringentis ſanguis miſſus. Neque aduerſus valetudines aquē atque aduerſus tedia diuturnæ deſidiæ ac moræ fuere conſolandi, quando diuturnitate moræ iacturam faciebant mercimoniorum; neque febris, etſi acuta, plures abſtulerit denis. Diſcors nautarum ſecutum eſt conſilium; pauidis in incerto erant ſententiæ, quid pro tempore ſaluberrimum foret. Nauarchus cenſebat rectè à Uliſſiponem redeundum. Contra alij nitebantur; diſſimulantes, tam longum curſum ſine clauo teneri haud poſſe. Alij ergo gubernaculum nouum faciendum aſſerebant, quo in Indiam pergeretur: ſed neque fabri aderant, neque ſuppetebant ferramenta, & magna erat machina (longa quippe palmos 50. lata nouenos.) Placuit ergo remos duos benè magnos, ex antennis factos, vtrimque ad puppim alligari, quibus per ſummam vim modicis que velis nauis adminiſtraretur; & commodum, tanta per eos dies erat maris ventorumque tranquillitas, quantam illis vorticibus ſperare poteramus. Conſectis re-

mis,

mis, milites qui nautarum egrotantium inua-  
 serant officia, quorumque sine ope gubernari  
 navis non poterat, Nauarchum Præfectumque  
 Classiariorum coëgere ad Brasilia portum (quem  
 Sanctorum omnium & Baiam vocant) appelle-  
 re; quod nempe, si ad Angolam contendissent,  
 necesse fuisset propinquare Promontorio, & mox  
 retrò repetere iter, leuissimamque coortam tempe-  
 state fuissent deteresi remi; neque verò alius se-  
 curior reperiebatur portus. Sic retrò fleximus  
 cursum, non directò adnauigando Baia, sed gra-  
 duum 14. interuallo, à Meridie rectà quasi in  
 Septemtrionem, deinde ab Ortum in Occasum, quod  
 longius fuit iter, causamque nouarum febrium ac  
 morborum, qui remedium inopiã etiam ingra-  
 uescebant. P. Iacobus, P. Alexander Ferrari &  
 ego, tot agrorum tractatione, audiendisque eo-  
 rum confessionibus, malè quoque habere cæpi-  
 mus; at illi quidem grauius, quia virium ha-  
 bitu erant debiliore. P. Iacobus certè ob constan-  
 tissimam charitatem quã agro cuidam adfuerat,  
 febrem contagione hausit tam periculosam, ut  
 principio lethifera crederetur. Ego ut primus  
 languere cæperam, ita breuè, per DEI opem, in-  
 tra octiduum febrem dimisi. Simul omnes con-  
 traxere morbum admodum periculosum, neque  
 aderat qui per id tempus aut laborantibus in-  
 seruiret, aut medicamenta suppeditaret, donec  
 ego à morbo valentior, & Pater de Angelis,  
 ambo

ambo adhuc conualescentes, decumbentibus cepimus operam collocare, & cibos, aliâque potuimus, præbere. P. Iacobus mortem suam quasi præfagiens, mecum agere instituit de celestibus rebus, eo sensu suauitatis, ut facile indicaret quàm celo vicinus esset: ijs colloquijs dimidium noctis duximus, cum noctes totas frequenter apud eum peruigilarem, ut redeunte febre somnum prohiberem. Vix deni, de tanto hominum numero qui in navi erant, id temporis integrâ erant valetudine: ac nisi exscendissemus, latissimè se fuisset pestis vulgatura. Grauius imminabat periculum, ne impingeremus in saxa; cum neque ubi versaremur, neque quàm longè essemus à Brasiliâ, inter nautas constaret. Certe si à Baiensi portu aberrassemus, ad Orientalis Indię insulas, absque omni præsidij spe, fuisset delati. Sed miraculo periculum auertit DEVS: cum namque errarem, vicini saxi terræque, quam situs humilitas nebulaque crassitudo abscondebant, sub auroram, ortâ magna venti vi, ostendit se actuaria vna Rupellensium, quorum multi ea littora legebant. Hac ad nauim nostram cognitum propius venit; non ausa tamen, ob magnitudinem multitudinemque tormentorum, nostram laceffere; sed redijt ad socios, fortè admonendos. Eâ re excitati nostri, excubare scilicet, obseruareque, an quæ vela fortè apparent: cum subito aduertunt, vix fistula minoris iactu

iactu abesse se à continente; fuissentq; eo vento  
 in rupes acti, si porrò processissent. Ea nox diem  
 sequebatur, quo tot retrò annis pro Christo mo-  
 riebatur P. Rodolphus cum Socijs, alijsq; 40. itine-  
 re Brasiliensi, quibus admodum semper deuotus  
 fui: atque ut eo maris tractu submersos eos ab  
 hæreticis in fidei odium fuisse recordabar, ita  
 perpetuò quasi presentes animo meo obuersa-  
 bantur. Detectâ continente, mare ingressi, agrè  
 vel per lucem, aut quod latus teneremus, aut  
 quis portus esset, cognoscere potuimus, in quem  
 Idibus Iulijs primâ luce hilares sumus inuecti.  
 Patres Collegij, cognito nauem esse Indicam,  
 quam casus eò appulisset, statim accurrere, acce-  
 ptâque sarcinarum curâ, ipsi in nauî perman-  
 sere, nobis in Collegium dimissis, agrisque in le-  
 cto positis. Tantâ humanitate sumus accepti, ut  
 die illo, qui septimus erat, P. Iacobus stata fe-  
 bris reuersione fuerit liberatus, ceteri morbos  
 senserint remissiores. Neque contenti Patres nos  
 solos adiuuissè, mox reliquis in terram iam ex-  
 positus, ac semimortuis subuenere, omnium curâ  
 in duos coniectâ. Conualuere omnes, & P. Iaco-  
 bus quidem ipso Præsidis sibi cognominis perui-  
 gilio omnem febrim abiicit, quæ sequenti quo-  
 que die interuallata, redijt denuò ad 26. inten-  
 tione maiore. Sequenti luce sub noctem adeò in-  
 creuit, ut frigidum ei exprimeret sudorem,  
 agrèque (quod magno meo solatio quotidie sole-  
 bat)



bat) peccata confiteri posset. Cetera Sacramenta cum efflagitasset, hora post meridiem nona, facto corporeæ scaphæ naufragio, securus iam reliqua navigationis, in vera Iaponis portum (cui maturus erat) placidissimè moriens enavit. Angelicæ formæ species in ore relicta morientis, migrasse verius quàm obijisse testata est. Mortem ingens exceptit vectorum omnium comploratio, qui magnam de eius sanctitate opinionem comprehenderant: Patres indoluere iacturam viri, cuius tantas virtutes tamq̃, egregia à DEO collata ornamenta brevissimo temporeprehenderant. Lacrymas mihi exciuerunt luctus atque invidia, quando illum comitari non poteram, cuius absentiam mihi damno fore sentiebam, quippe cum quo iam inter nauigandum singulare arripueram studium virtutum, cuiusque optimâ consuetudine vehementer promouebam. Cum verò per id tempus solus valerem, plurimum mihi laborandum fuit, quâ egro-rum nauiculariorum confessionibus audiendis, quâ socijs meis visendis iuuandisque, exportandis denique (quod grauissimum fuit) è navi sarcinis, subeundoque fundo, quem corrupti aëris inclusione violauerat pestis. Hinc 30. Iulij violenta me febris inuasit sopore mixta, simul stomachum nausea, caput vertigines, alienationesque sensuum corripuere. Quâ lue afflatus quos reliqui fuere, qui ad exinaniendam nauim humilia

milia alvei loca erant ingressi: at, quòd nullum sanguini meo inesset vitium, ego octidui spatio renalui. Nautæ, postquam recuperauerant vires, fabricando gubernaculo adhuc languidi incubuere. Nos operam nauauimus munij Societatis.

## CAPVT VI.

Discessus è Brasiliâ in Portorico,  
& exorta tempestas.

POST quinque mensium moras tandem 12. Decembris soluimus, comitati naue vnâ, saccharo onustâ (quæ in portum redire coacta est, ob fractum in ipso exitu minorem malum) alijsq; præterea onerarijs Belgicis quinque, Patacciâ (vt vocant) vnâ, & Carauelis duabus. Cursum instituimus iterum in Tropicum Capricorni, vt alto in mari idoneos cape-remus ventos, quibus superandum erat Promontorium S. Augustini, vicinum Fernambuco intra octo gradus Australes. Ventus huic cursui secundus quidem erat, sed vehementior Oceani impetus in terram perpetuò naues trudebat, planè vt cum existimarem nos procul Abrogli scopulis, qui existunt intra nouem gradus, abnauigaturos, in ipsos proximè fuisset delati. Sed nempe viridior maris color, marinorumque ouorum supernatantium copia (quæ  
C flauas